Fabritius Miseratione Divina Tituli Sanctorum
Joannis et Pauli S. R. Ecclae. Presb. Card. Paulutius. - 20

Dilecto in Xpto Josepho de Somosa Sacerdoti Religioso professo Hispano Fratrum Ordinis Praedicatorum Salutem in Domino. Ex parte tua nobis oblata petitio continebat, quod tu pro animi tui tranquillitate de tua Religione ad aliam in qua tamen vigeat regularis, et claustralis observantia te transferre posse desideras, iuxta consensum Procuratoris Generalis tui Ordinis Sacrae Penitentiariae exhibitum; cum autem sicut eadem petitio subiungebat tu tuum huiusmodi desiderium adimplere nequeas, absque Sedis Apostolicae dispensatione; ideo pro tuae conscientiae quiete cupis, per ipsam Sedem Apostolicam tecum desuper in utroque foro dispensari: quare supplicasti humiliter, ut tibi super his de opportuno remedio providere dignaremur. Nos igitur qui Penitentiariae Dom. Papae curam gerimus huiusmodi supplicationibus inclinati, Auct. Apostolica specialiter nobis concessa tecum Josepho ut de dicta tua Ordinis Praedicatorum Religione ad quamcumque aliam in qua benevolos inveneris receptores dummodo in ea vigeat regularis, et claustralis observantia, non tamen ad hospitalares, et militares, neque ad Abbatiam Sancti Andreae de Villanova Aveniomen te transferre, ibique peracto probationis anno professionem a Clericis emitti solitam, emittere regularem, et post illum emissiuum inibi remanere, et perseverare licite valeas misericorditer in utroque foro dispensamus: et superioribus Religionis quam ingredieris, ad quos spectat ut te ad habitum, et professionem recipere, et admittere possint indulgemus; non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, nec non fratrum Ordinis Praedicatorum, et Religionis quam ingredieris statutis, ac privilegiis ceterisque contrariis; quibuscumque ceterum tu non prius discedas quin certus sis, te in aliam fore recepturum; et recta via, ac habitu regulari retento ad illam te transferas, nec tibi aliter nec ultra annum praesentes literae suffragentur. Datum Romae apud S. Petrum sub Sigillo Officii Penitentiariae Sexto Idus Decembris Pontificatus Domini Clementis Papae Undecimi Anno decimo septimo.

P. Episcop. Cyrenen. Corr.tor = Gratis ubique Fr. Farinell. Sig.

P.

Frat: Petruzziolus.

Hasta aqui la Bulla Con su Cello pendiente

Josephus Vial Presbiter Religiosus expresse Professus Ordinis S. Be-
nedicti Prior Claustralis Monasterij S. Petri Pertuciensis eiusdem Ordinis
Theologia doctor.- P. Patri Josepho de Somosa Religioso professo Presbitero
Ordinis Predicatorum S. Dominici Salutem: Visis literis patentibus ab
Eminentiss.o Cardinale Paulucio tibi Concessis, quibus facultatem, et licentiam
obtinuisti ob infirmitates tuas transeundi a dicto Ordine S. Dominici ad
Ordinem laxiorem in quo benebolum Receptorem reperires; specialem gratiam
tibi facere volentes, te in numero Monachorum dicti nostri Monasterij Recipi-
mus, et te Receptum declaramus tradentes tibi habitum quo indui solemus, et
scapulare nostrum, spoliato prius habitu tui prioris Ordinis, statuentes ut annum
tui noviciatus ex hac die in dicto nostro Monasterio incipias sub directione nostra;
quo expleto, si prudenter gesseris, et regularem nostram observantiam servaveris
in solemnem professionem admittemus. in quorum fidem has tibi literas patentes
fieri iussimus a nobis, et a Secretario nostri Monasterij subscriptas, sigilloque eius
munitas pertusij die decima quinta Aprilis, Anno Millesimo Septingentesimo
decimo septimo. Testibus Josepho Payan. = et Claudio Sonnaillet. = testibus roga-
tis, et subsignatis tam in presenti quam in Originali. J. Vial Prior = J. Payan. =
Claud. Sonaillet. = De mandato R.mi Patris Prioris. Salvator Secret.s
Ea tamen Conditione q. non exis Monasterio oneri, sed ex tuis beneficijs, et ex tuo
patrimonio a tuo Patre tibi Constituto vixeris quod spopondisti, sine qua Condi-
tione non te Recepissemus. Josep de Somosa

Licencia del Prelado

Josephus Vial Presbiter, Theologie doctor, Monachus expresse professus Ordinis
S. Benedicti, Prior Claustralis Monasterij S. Petri Pertusic. dicti Ordinis, necnon
Eminentissimi D. D. Caroli Bichi S. R. Ecclesie Cardin. et S. Petri Montis Mayoris
prope Arelates. Abbatis, Vicarius Gen.lis in spiritualibus P. Josepho de Somosa Re-
ligioso dicti Monasterij de Pertusic. Salutem. Cum ut asseris negotia tua te premant
exeundi a dicto nostro Monasterio adeundum in hispaniam pro negotijs que in
tua patria prope tuum Patrem habes, licentiam tibi Concedimus hoc iter susci-
piendi, et a nostro Monasterio exeundi, Rogantes et humiliter deprecantes omnes
Illustriss. Antistites, et Reverendos Monasteriorum Superiores ut te benigne sus-
cipiant, et ad Missam Celebrandam admittant. in quorum fidem has tibi
Concessimus literas, Pertusij die decima sexta Aprilis, Anno Septingentessimo
decimo septimo.- Vial Prior Vic. Gen.lis = De Mandato Domini
Reverendi Prioris, et Vicarij Gen.lis - Salvator Vial -

Concuerda con los instrumentos i despachos originales aqui fielmente trasumptados y contenidos que me exhibio el R. P. L.r Sor habitual de Theologia. F. Jos. Angulo Pres.te de este Convento [illegible]

q bolui y de pedimto. y mandato de nro M. R. P. Mro F. Antonio
Pitillas Ex Prouł. desta Prou.a de Andalucia Orden de Predicadores
di el presto. firmado y signado de mi nombre y signo en S. Lucar de
Barr.da en Catorze dias del mes de Julio de mill setecientos y diez y sie-
te años.

En testim. de ver.d fize mi signo

Buenaventura Amador

Ess.no pu.co